

DE SUBTRACTIONE.

Subtractione hac operatione perficitur. Numeratores signorum graduum, minutorum, aliarumque denominationum, suis locis distincte scribentur, illius scilicet numeri, a quo debet fieri subtractio, sub quibus numeratores subtrahendi debite unusquisque sub genere suo ea diligentia describentur, puta signa sub signis, gradus sub gradibus, minutia sub minutis &c, ut in praecedente dictum est. Quo facto a denominatione subtiliori incipiendum erit, subtrahaturque prima inferioris a sibi supra posita, si fieri possit, & scribatur residuum, si quod fuerit in locum superioris deletae, uel o, si nihil remanserit, si autem inferior a superiori auferri minime poterit, quod contingit, dum inferior superiorem excedit, hoc casu unitas a sequenti uersus sinistram eiusdem denominationis huic accommodatur, quae semper respectu prioris decem significat, si in eadem denominatione reperiatur, si atque subtractio inferioris a tali articulo uel numero composite, secundum quod operatio depositit, remanente tamen residuo, ut dictum est loco superioris deletae. Si autem accommodanda unitas in eadem denominatione inueniri non potest, a denominatione proxima uersus sinistram, non uante surripiatur, quae si fuerit in loco reperta lignorum in denominatione gradum 29. in subtilioribus uero ab hac 59. toties relinquuntur, quoties praedicta unitas per aliam denominationem traducta fuerit, quae in termino ad quem si gradum locum transferit 60. semper, si autem in situ graduum fuerit finita 30. solummodo representabit, in his ut preferuntur stantibus, omnes figurae inferiores a suprapositis auferantur, residuo tamen semper loco suo remanente. Nec ab operatione illa uacandum est, donec singuli numeratores denominationum quarumcumque a subtilissima inchoando ad usque grossissimam inclusiue suprapositis fuerint delati, & consumabitur tota haec species. Unico tamen illo non ignorato, quod quandocumque numerus inferior a superiori subtrahi non potest, propter defectum signorum illius a quo subtractio fieri debet, tunc integra reuolutio, quae ex 12. signis constat, reuocetur toties, quoties operatio requirit, si atque subtractio modo praetacto &c. Cum autem duplatio nihil aliud sit, quam alicuius numeri bina acceptio. Mediatio etiam alicuius numeri medietatis inuentio, quae ex iam habitis speciebus abunde luceunt, igitur de eisdem specialior operatio hic non expectatur.

De Multiplicatione;

Multiplicare denique minutias quascunque per alias, in proposito nihil aliud est, quam quatuor constituere numeros proportionales. Quorum primus in physicis est integrum, uel integra puta gradus, secundus multiplicans, tertius multiplicandus, quartus uero proueniens ex ductu unius per alium, producti nomen sibi uendicat. In quaunque enim proportione habet se integrum ad multiplicantem, in eadem & multiplicandus ad illud quod excrescit. Verbi gratia, sicut unus gradus habet se ad 6. minuta multiplicantis in decupla proportione, ita triginta minuta multiplicandi ad tria minuta producti in eadem decupla proportione. Et scias hoc generale totius operationis, quod ex tali ductura unius per aliam minutiam semper productam in subtiliore denominatione proueniet.

Regulae Multiplicationis;

Sequentibus igitur regulis tota multiplicatio prout nostro sufficit propposito perficitur. Prima, si gradus fuerint multiplicati per gradus, gradus a signis produci uiderentur, si numerus producti ad hoc sufficeret. Secunda

minutiam